VIR Consultissime Amplissimeq;
Fautor et Patrone singulariter
colende!

Cum ad hoc usque tempus, iter meum Petropolin
destinatum morbo implicitus, aggredi non potue-
rim, antea mei officii esse putavi, priusquam abhinc
discederem, (quod hodie favente Deo, fiet) litteru-
las, discessum meum nuntiantes, meaq; in TE Am-
plissime VIR observantiae interpretes ad TE ut
mitterem. De praestitis mihi officiis plane multis
ac singularibus, summopere obstrictum me profiteor:
quae tanta profecto fuere, ut a summo Patrono,
qualem in TE Lipsiae me esse nactum gaudeo,
majora uberioraq; exspectare nemo possit. Pro quo
Tuo in me favore, perpetuum in vita gratum
animum declaraturum esse, TIBI Vestio

158 v

PATRONE summe persuadeas. Crede mihi, Doctissime VIR a quo die Lipsiam reliqui nullum illuxisse diem, quin Tua egregia comitatis et humanitatisque plane incredibilis, in animum venerit recordari. Nec ullum tempus, ulla locorum dissentia, mentioni Tuorum memoriam obliterabit. Nullaque plane hora gratior mihi continget, quam quae TIBI, TUISQUE, Doctissime VIR meam animi observantiam testari possim. Dom. La Crose et Dom. Infantius, maximi aestimatores Tui, meo nomine diligenter TE salutant. Et quod ad Dn. la Crosium attinet tanta VIRI est humanitas, quanta in viro erudito esse potest. In Bibliotheca Spanhemiana, quo me invitaverat, multos raros libros mihi ostendit, nec non libros manu sua exaratos, in primis Lexicon Armenicum duobus Tomis in 4to. Copticum item maximo cum labore confectum. D. Infantius inter optimos suos amicos TE numerat. Gratissimus illi liber accedit, quem a Kortholtio

quodam doctore conscriptum nuper ad Reum mi-
sisti: in quo sexcenta iam mendacia se deprehen-
disse affirmabat. Tertiam nunc editionem
Concil. Pisani parat: in latinam linguam for-
tasse transferendi. Duo hic novi Professores in
hac Kiloniensi Academia exspectantur. Unus est
Hartmannus, qui nuper orationem habuit Lipsiae
de aureo vellere: alter Struvij frater. Plura
nova ad te perscriberem, Amplissime VIR,
nisi angustia temporis excluderet. Reliqua
igitur in illud tempus reiiciam, quo Metropo-
litanam portum, iuvante DEO, intravero.
DEUS interim Opt. M. TE TUAMque inclutam
Familiam, servet integram ac incolumem.
De Tuo vero in me immerentem favore, nihil
ut tempus, aut locorum intervalla detrahant, vide.
Qui quidem nullam rem antiquiorem habebis,
quam ut me praestem semper

VIR Consultissime et
Amplissime

devotissimum Tui
nominis cultorem
P. Kohlium.

Scripsi festinanter
Kilon. d. 22 Jun. 1725.
D. Kortholti uterque
Harprechtius officiose
te salutant, nec non D. Blida
devotissimus Tuus cliens.